

minus Rempub. Israeliticam, fuisse filiam multorum regum, principum, & patriarcharum piorum. Pulchrè enim ficus significat patriarcham, & principem sanctum. Siquidem, vt ficus melleo glutine, innumera continet grana: ita patriarcha & princeps sanctus, mellea charitate suos cõtinet filios atque subiectos

*Et concepit, & peperit ei filiũ. Et dixit Dominus ad eum. Voca nomen eius Iezrahel.*

Vt hanc prophetiam apertissimè intelligas, quæ sequuntur attentè lege, & Gentis Israeliticæ tempora distingue ¶ Primum tempus fuit à Moysè, vsque ad mortem Salomonis. Hoc tempore Synagoga Dei Sponsa, fidem coniugij Deo, vtcunq; seruauit, ac idè vxor fornicationum dici non potuit. neque enim publico consensu colebat idola. ¶ Secundum tempus fuit ab obitu Salomonis, & initio regni Ieroboam, vsq; ad Eliam, Helisæum, & nostrum Oseam prophetas, & Iehu regè Israelis. Hoc vero Deo spreto, gentium recepit Idola. atque idè vxor

3. Reg. 12

4. Reg. 9

fornicationum Osea vocatur. ¶ Tertium tempus est, à prædictis Elia, Helisæo, Osea, & Iehu rege, vsque ad quartam huius regis generationem. i. vsque ad Zachariam Israelis regem. Populus Israelis, huius tertij temporis genitus, est primus fornicariæ Synagogæ filius, quem Oseas noster Iezrahelem vocandum prædicit. Rationem cum textum ex-